



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis**

**Arias, Francisco**

**Monachii, 1648**

Cap. LIII. Ostenditur, quantum contra peccata remedium sit, attenta  
mortis consideratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

cultate, & fastidio inceperunt, magnâ cum suauitate, & voluptate faciant; quemadmodum obseruat Ecclesiasticus, dicens: *a Fili, accede ad diuinam sapientiã, qui est experimentalis amor Dei, & pro acquirendâ eâ labora, quasi is, qui terram arat, & seminat; vt inde fructus colligat: & quamuis non statim fructuum illius multitudinem, ac suauitatem sentias, perseuera in laborando cum spe, & patientiã; in opere enim ipsius exiguum laborabis, & valdè cito edes de suauissimis illius fructibus, hic gratiæ, ac postea æternæ gloriæ.*

*a Ecclic. 6. 2.*

*Ostenditur, quantum contra peccata remedium sit attendenda mortis consideratio.*

C A P. LIII.

**M**Ultis de causis consideratio mortis ad tollenda peccata plurimum refert, atque conducit. Vna est, quia ex amore inordinato, quem homo erga seipsum, omnesque res temporales

honorum, facultatum, ac delectationum habet, peccata omnia nascuntur; quod significat S. Paulus, dicens: *a* Qui voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur; hoc est, qui res huius mundi amore inordinato amat, incidet in multa peccata, quæ eum inimicum Dei constituent. Iam certum est, ex eo, quod homo mortem sui proprii corporis, & finem omnium rerum huius mundi non considerat, procedere suum ipsius amorem, & amorem inordinatum rerum omnium mundi, omniaque cetera peccata, quæ ex hoc malo amore proficiscuntur. Ita docet Spiritus Sanctus. Recensens enim Isaias peccata Babylonis, ubi Chaldaeorum Monarchia erat, & ingentes penas, quas illi Deus erat immissurus, dicit horum malorum causam fuisse, quod *non recordata sit nouissimi sui, b* mortis scilicet, quæ omnes eius habitatores ex hac vitâ abreptura, neque finis, quæ res omnes habituræ essent. Et Ieremias referens delicta Ierusalem, & ca-

lami-

*a* Iac. 4. 4. *b* Is. 47. 7.

lamitates, quas propterea erat passu-  
ra, omniumque horum peccatorum  
radicem ostendens, ait: *a Non recor-*  
*data est finis sui.* Non consideravit fi-  
nem humanæ vitæ, vsûsque rerum om-  
nium temporaliû, quæ est mors. Cum  
verum sit cælesti testimonio, obliuio-  
nem mortis, ac finis omnium tempo-  
ralium rerum, esse radicem, & occasio-  
nem inordinati amoris mundi, omni-  
umque peccatorum ex eo nascentium,  
clare sequitur, remedium ad destruen-  
dum hunc malum amorem, & ad hæc  
peccata impedienda, esse considera-  
tionem mortis, ac finis omnium tem-  
poralium rerum. Hac enim conside-  
ratione homo deprehendit, omnes  
mundi res esse vilissimas, vanissimas,  
nec dignas ab homine Christiano a-  
mari, æstimarique, sed contemni, ac  
respui, cum admodum breves sint, nec  
diutiùs durent, quàm vita, quæ per-  
brevis est, & hæc duratio sit incerta,  
sicut incerta est vita, adeò vt sæpè bo-  
num vixdum cœptum, esse desinat.

Cc 6

Sed

*a Ier. tr. 1. 9.*

Sed neque suis amatoribus quietem, & satisfactionē præbent, sed potius tormentum, ac perturbationem. Sunt item fallaces, quia videntur esse aliquid, & sunt nihil, promittunt fælicitatem, & angustias, miseriamque perpetuam aduehunt. *a* Quare Sacra Scriptura eas vano, & fallaci somnio comparat. Dum homo dormit, sæpè sibi videtur ingentes habere diuitias, & esse valdè magnus, ac potens dominus: statim pòst expergiscitur, videtque se, vt antè erat, pauperem, & miserum. Sic homini, qui opibus, honoribus, alijsque temporalibus bonis abundat, accidit: dum viuit, putat veras se diuitias, & honores habere, veramque animi tranquillitatē in bonis suis reperiturum: transit ei postmodum vita instar somni, venit mors, expergiscitur ab hoc somno, videtque se in alterâ vitâ nudum omnibus bonis, & consolationibus, quas in hac vitâ habuit, & plenum miserijs, atque æternis tormentis. Significauit hoc Iob, dicens:

*a* Iob 20. 8. Ps. 72. 20.

cens : *a* *Diues cum* somnum mortis dormierit, nihil ex omnibus, quæ in mundo habuit bonis, *secum auferet; & sic aperiet in alterâ vitâ oculos, & omnium temporalium bonorum nihil inueniet; benè inueniet æterna, quæ propter peccata sua meruit, tormenta.* Hanc veritatē homo per mortis considerationem deprehendit, ideoque magnum illa ad perdendum omnium mundi rerum amorem, seque à peccatis liberandum remedium est. *b* Sic S. Gregorius, *Nihil, inquit, sic ad edomandum desideriorum, carnalium appetitum valet, quàm ut unusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum, penset. Consideratâ etenim corruptione carnali, citius cognoscitur, quia cum illicitè caro concupiscitur, tabes desideratur.* Frequenter Christianus hac consideratione vtatur. Quando inordinatus appetitus bona temporalia ab ipso flagitauerit, cogitet, quàm citò sit illa relicturus. Quando ipsum Dæmon ad inhonestum alicuius personæ amorem

Cc 7 foli-

*a* *Iob. 27. 19.* *b* *D. Greg. l. 16. mor. c. 31.*

sollicitauerit, consideret eam iam mortuam, & in sepulchro positam. Quando ipsius caro delicias in cibo, potu, vestitu, alijsque vanis gustibus ab eo poposcerit, cogitet illam iam mortuam, corruptamque, & quam nihil utilitatis, sed maximum damnum acceperit ex his omnibus gustibus, qui ei causa multarum extiterunt culparum, quae ipsum aeternis poenis reddiderunt obnoxium. Nisi homo mortem viuis consideret, ut vitae temporalis vanitatem, fallaciamque agnoscat, agnoscat, & experietur eam in altera vita, quando nihil penitus ipsi proderit: si autem nunc illam considerat, agnoscat, sentietque liquidissime omnium temporalium rerum vanitatem, & fallaciam, amorem earum perdet, & ad agenda de peccatis suis poenitentiam exardescet. *a* Ita Ezechiae regi euenit, qui denunciata sibi ab Isaiâ mortem considerans, *conuertit faciem suam* versus Templum, magnoque cum dolore cordis sui, & vberimis lacrimis planxit.

pec.

*a 4. Reg. 20. 2.*

peccata sua, Deumque glorificavit. Sic etiam Niniuitis contigit, qui mortem, civitatisque destructionem, quam Jonas ipsis minatus erat, considerantes, omnes à maiore usque ad minorem poenitentiam de suis peccatis egerunt, ieiunauerunt, & vestiti sunt faccis, & veniam obtinuerunt. Verum aduertendum est, si homo velit consideratione mortis hunc effectum tollendi peccata operari, necesse esse, ut sit intenta, & sensim, non leuiter, nec intransursu fiat. Cum enim hominis capacitas in hac vita curta, parcaque, & intellectus attentio exigua sit, si pluribus simul rebus occupetur, ac distrahatur, nullam integrè capit: quare si mors fructuosè sit consideranda, debet homo ab alijs rebus vacuus, se ad eam sensim vnâ, duabusue horis, attento, collectoque corde considerandam applicare. Consideret, quàm citò vitam suam finiturus sit, & quàm sit contingens, ut hoc ipso die finiat. Consideret, quòd necessariò, quicquid  
in

a Ioan. 3. 5.

in hoc mundo possidet, relicturus, nec quicquam, nisi sola peccata, quæ per rerum mundanarum occasionem commisit, secum ablaturus sit. Consideret, quemadmodum corpus suum sepulchro abscondendum, in puluerem conuertendum, & ab omnibus obliuiscendum sit; quantus item sit error, ad blandiendum tali corpori, animam perdere, & propter homines offendere Deum, eiusque amicitiam, & gratiam excidere. Consideret sortem, quæ animæ, si bona sit, obtinget, & quæ, si sit mala; & quod in eo loco, quò vltimò mittetur, siue cælum sit, siue infernus, in perpetuum sit mansura. Talem esse oportet mortis considerationem, vt admodum utilis sit. Atque hic multorum gentilium sensus fuit, qui vt sensim, & attentè mortem considerarent, ad fores domuum suarum aperta sepulcra habebant, vel intra ædes statuas ligneas, quæ cadaver hominis ex ossibus compactum ad viuum repræsentabant, ne mortis consideratio breuis, leuisque, sed firma, durabilis, & continua esset.

Idque

Idque nos docuit Spiritus Sanctus per Ecclesiasticum dicens: *a Memento novissimorum*, quæ te manent, videlicet, mortis, iudicij, & pœnæ, vel præmij æterni; & *noli eorum obliuisci*. Dum vetat te obliuisci mortis, quæ vna ex novissimis rebus est, significat, illius considerationem valdè attentam, & continuam esse oportere, ita vt altè animæ imprimatur. Atque hæc est illa consideratio, quæ effectum tollendi peccata operatur, quemadmodû idem Spiritus Sanctus declarat, dum ait: *b In omnibus operibus tuis memorare novissima*, quæ subiturus es, & *in æternum non peccabis*; id quod de peccatis gravibus, vel leuibus, quæ deliberatè fiunt, intelligitur. Ex hac attentâ mortis consideratione haurit homo etiam humilitatem, quâ se parui æstimat, & ex corde contemnit. Considerans enim corpus suum corrumpendum, & in puluerem conuertendum esse, agnoscit vilitatem, debilitatemq; eius, cum ex terrâ formatum sit; agnoscit item,

&

*a Ecclic. 38. 22. b Ecclic. 7. 40.*

& sentit debilitatem, ac miseriam animæ, cum ex nihilo creata, corporique infusa sit, vnde eadem, quantum est in ipsâ, nihil est, nihil ex se boni habet, & propter admissas culpas meretur annihilari, & in nihilum, ex quo creata est, redigi, vel, quod peius est, meretur post hanc vitam in æterna tormenta proijci. Hac consideratione homo se ex corde humiliat, & contemnit; id quod Spiritus Sanctus requirit à nobis, dicens: *a. Humilia valde spiritum tuum*, considerando potentiam, iustitiamque Dei, qui *impium* vindicaturus est supplicijs exterioribus *ignis*, & tormentis interioribus *vermis*, ac remorsus conscientia.

Hinc quoque sequitur, per istam mortis considerationem totum renouari hominem, ac reformari: hac enim humilitate consequitur novos à Deo fauores, quibus maiorem virtutem exercet, crescitque in gratiâ, & donis Spiritus Sancti, atque ita Spiritus, & totus interior homo magis perficitur,  
&

a *Eccles. 7. 19.*

& puriore, Deoque gratiore vitâ re-  
nouatur. Id fatetur Isaias hisce ver-  
bis: *a Hæc dicit Excelsus, & sublimis*  
*Dominus, habitans aternitatem, & habi-*  
*tans in contritis, & humilibus spiritu, vt*  
det eis vitam spiritualem, faciatque  
iplos in eâ crescere. Præterea concipit  
homo ex hac mortis consideratione,  
amorem bonorum cælestium, & con-  
solationem in rebus diuinis. Cum enim  
amorem habeat, non potest viuere,  
quin habeat aliquid, in quo amorem  
suum ponat; & cum per mortis confi-  
derationem terrenarum rerum amo-  
rem amittat, collocat eum in rebus cæ-  
lestibus, in ijsque consolationem suam  
querit. *b Scimus enim vt S Paulus lo-*  
quitur, *quoniam si terrestris hæc domus,*  
id est, corpus dissoluatur, quòd statim  
*adificationem habemus aternam in calis.*  
Hinc apparet ingens earum persona-  
rum error, ac deceptio, quæ nolunt de  
morte cogitare, neque morientes ho-  
mines proprijs oculis videre, ne hac  
consideratione, & hoc aspectu fasti-  
dium,

a Is. 57. 15. b 2. Cor. 5. 1.

dium, ac timorem sentiant; quando-  
 quidem istius considerationis defectu  
 in tanta mala, quanta sunt vitia, &  
 peccata, pœnæ temporales, & æternæ,  
 incidunt, & tanta bona, quanta sunt  
 animæ mundities, renouatio Spiritûs,  
 amor, & consolatio bonorum cæle-  
 stium, æternæque eorundem possessio,  
 amittunt. Et præter hæc augent ipsum  
 mortis fastidium, ac timorē, quem fu-  
 gere vellent: quando enim illa post-  
 modum venit, cum parum de eâ cogi-  
 tãrint, terribilior, formidabiliorque  
 ipsis accidit, maiorem illis tristitiam,  
 tormentumq; affert, & in maius dam-  
 nationis periculum eos adducit. Atq;  
 ita remedium contra mortis fastidiũ,  
 & timorē non est, obliuisci ipsam, sed  
 continuè illam recordari, considerare,  
 valdeque deditã operã ac per frequen-  
 ter eandẽ meditari. Quod enim mor-  
 tem admodum formidabilem, & anxi-  
 feram facit, peccata sunt, & mala con-  
 scientia; dumque homo mortis confi-  
 derationē, vt diximus, instituit, à pec-  
 catis se liberat, & cordis munditiem,

&amp;

& virtutum, meritorumque augmentum acquirit; & sic mors facilis, ac suavis redditur, fitque securus, & latus in æternam vitam ingressus.

*Declaratur, quàm efficax contra peccata remedium sit iudicij particularis, quod mortem subsequitur, consideratio.*

CAP. LIV.

EX inuisibilium rerum cognitione, & Fide totum vitæ nostræ regimen dependet; & inter harum rerum considerationes vna magni momenti, omnibusque necessaria est consideratio iudicij particularis, quod post mortem fit; de quo Sanctus Paulus ait: *a Statutum à Deo est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem fieri de iisdem iudicium.* Simul atque anima de corpore egressa est, sistitur coram tribunali IESU Christi. Ibi rerum omnium, quas in hac vitâ fecit, dixit, cogitavitque, bonarum, & maliarum ratio ab eâ exigitur; ibi manifestantur, examinanturque vniuersæ,

*a Heb. 9. 27.*

Si